Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

dala reppererunt et aptissime blasphemie. que iste sua negare
non poterit catholica esse pronuntians. Dicit eusebius immo ut tu
tuus pamphilus in ipso uolumine filium patris ministrum. spiritum
sanctum non de eadem patris filiique substantia. animas hominum lapsas
esse de celo. et in hoc quod sumus de angelis commutatas. in restituti
one omnium equales et angelos et demones fore. et multa alia tam
impia et nefaria que etiam replicare sit criminis. Quid faciet as
sertor origenis et interpres pamphili. si in his que emendauit
tanta blasphemia est. in illis que ab hereticis falsata confin
git. quanta sacrilegia continentur. Cuius opinionis causam hanc
suspicatur. quod neque stultus neque insanus dicere sibi repugnan
tia non potuerit. et ne forsitan putaremus diuersis eum uaria
scripsisse temporibus. et pro etatibus edidisse contraria addidit. Quid
facimus quod in medium in eisdem locis. atque ut ita dixerim. incon
sequentia. pene capite. sententiam contrarii sensus inuenimus
insertam. Numquid in eo opere eodem libri. et in medio ut diximus
statim in consequenti capitulo oblitus sui potuit. uerbi causa
ut qui superius dixerat. nusquam in ueteri in omni scriptura. ubi
spiritus sanctus factus uel creatus esse diceretur. continuo subiceret inter ce
ras creaturas factum esse spiritum sanctum. aut iterum qui patrem et filium unius
substantie. quod greci ομοουσιον dicunt. designauit in consequen
tibus statim capitulis alterius esse substantie et creatum poterat
dicere eum. quem paulo ante de ipsa natura dei patris pronun
ciauerat natum. Hec ipsius uerba sunt negare non potest. Nolo
dicas uerbi causa. ut qui superius dixerat. sed ipsum librum no
mina. ubi prius bene dixerit. et postea male. ubi spiritum sanctum
et filium de patris scribens esse substantia. statim in consequentibus
asseruit creaturas. Nescis ne me origenis habere omnia.
legisse quam plurima. ad propositum faleras. ego te intus et in cu
te noui. Vir doctissimus eusebius. doctissimum dixi non ca
tholicum ne more solito mihi et in hoc calumnias struas. per vi
uolumina nihil aliud agit nisi ut origenem sue ostendat